

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6963

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Guillaume aux Blanches-Mains, Sens (archevêque)

Genre d'acte : lettre

Authenticité : non suspect

Datation : [1168-1169]

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Lettre de Henri II à Guillaume, archevêque de Sens, avec lequel il offre d'avoir un entretien.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCLXXIX, t. 1, p. 427-428.

Dissertation critique

« 1168 ou 1169 » : sur la datation de cet acte, voir DELISLE/BERGER, *Recueil des actes de Henri II*, t. 1, p. 427.

Texte établi d'après a

Henricus, rex Anglie, Willelmo, Senonensi archiepiscopo.

Quos ad me misistis ordinis Cisterciensis viros religiosos et venerabiles, sicut decuit, honorifice suscepi, attente audivi, diligenter intellexi. Verbum autem, quod ex parte vestra mihi intimaverunt, benigne, secundum quod vos accepisse ex domini pape mandato mihi significaverunt, ut mecum de pace reformanda inter me et archiepiscopum Cantuariensem loqueremini, admisi. Placet itaque mihi quatenus super hoc mecum loquamini. Vobis enim ex magna parte innotuit causa que inter nos vertitur, sicut presens audistis, ubi in presentia domini regis Francie inter nos inde sermo haberetur. Ipse causam prestitit discordie, ab ipso concordie debet causa procedere ; ipse vulnus impressit, ipse sanare studeat ; per ipsum morbus invaluit, in ipso est ut sanitate reddita morbus evacuetur. Ego neque causam mali, neque executionem excitavi vel implevi. In quo itaque loco utriusque nostrum, donec convenire possimus, [mihi] significetis. Confido autem de fidelitatis vestre integritate et constantia, quod cause hujus veritati favorem inclinabitis. Ideoque affectuosius accipio ut vestra discretio diligentius meam circa hoc voluntatem et equitatem attendat. Preterea ad vos meam dirigo conquestionem super hoc, quod dominus meus rex Francie nuper, equum excedens, mihi in meis fecit injuriam. Vestra namque mediatione, et comitis Theobaldi fratris vestri, posthabito meorum consilio, super hoc, quod predecessores mei nunquam fecerunt, pro bono pacis me totum nuper exposui voluntati domini regis Francie, vestro acquiescens consilio ; vos autem non credo latere quomodo mihi nuper injuriatus est. Vobis autem conqueror, ut quod in prejudicium pacis inter nos statute presumpsit, transgressio vobis displiceat, et eum ad satisfactionem justam deducere satagatis, quo auctore ipsa facta est.